

incerti commodi, lucro parvo, sed certo anteposuerit *Larr-
terb. Coll. pract. Tit. de contrah. Empt. §. 27.*

§. IX.

Ut autem nunc propius ad Scopum huic nostræ exercita-
tioni præfixum accedamus, juvabit hic subsistere, &
ad incudem Juridicam revocare illam Venditionis ac ne-
gotiationis speciem, quæ super fructibus futuris, potissimum
præsentibus quidem sed adhuc imperfectis celebrari consue-
vit, ejus usus testante experienciâ & exemplis vix non quo-
tidianis, hodie frequentissimus animum induxit de illâ im-
præsentiarum pluribus, quantum per temporis & chartæ an-
gustias licebit, ex professo differere.

§. X.

Quemadmodum itaque secundum dicta Emptio Venditio
fructuum futurorum tam per modum rei speratæ
& inspecto naturæ ordine suo tempore extituræ, quam eti-
am ad instar spei & quasi aleæ cujusdam contrahi potest, ita
etiam in Jure Emptio fructuum, actu quidem jam existen-
tium & præsentium, tamen adhuc imperfectorum non re-
probata, sed permessa, nec infrequens est, quod fructus
pendentes, prout nunc sunt, vel qui sunt in herbis in hunc
contractum deducantur, & objectum Emptionis Venditio-
nis constituent, ita ut hoc in casu, ubi durante adhuc hye-
me fructus futuræ messis defacto in herbis adhuc existentes
venduntur, ipsa Emptio subsistat *L. 78. §. fin. ff. de con-
trah. Empt. & omne damnum ac periculum pertineat ad
emptorem arg. §. 3, Inst. & L. 78. ff. de contrah. Empt. L. 25.
ff. de act., empt. Vend. Nec Venditor damnum casuale*
circa